



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Plena & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Concilio Octavo. Ea emicuit in libello ab apostolica sede directo, cui subscripsere Episcopi lapsi. Episcopi quidam Diœceseos CP. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

consensus significandam. Sed præterea addunt quæ auctoritatem synodi respiciunt, Papam nempe nec per suos Vicarios nec per circularem epistolam interfuisse, ut lex Conciliorum exigebat. Quomodo autem magna & universalis, quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transniserant? Non habuit enim adiutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dicit Conciliorum. Pergit verò de consensu Patriarcharum hæc addere: Sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandria scilicet, Antiochia, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summos Sacerdotes qui cum ipsis existunt.

II. Hæc Synodi Septimæ professio Hadriani I. Pontificis desiderium implevit; qui conciliabulum illud, quod antiquam traditionem everterat, ante omnia in irritum mitti voluit, ex eo capite, quòd sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat: In primis pseudo-syllogum illud quod sine apostolica sede enormiter & irrationabiliter nequitèque contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathemati ætetur presentibus Missis nostris. Eodem sensu in epistola ad Tarasium: ubi Missos vocat Apocripharios.

Hoc vitio caruit Septima Synodus; in cujus actione secunda relectæ sunt Hadriani epistolæ ad Constantinum & Irenem, & ad Tarasium Constantinopolitanum: quæ restitutionem imaginum juxta veterem Ecclesiæ morem præscribunt, in memoriam venerationis. His literis recitatis, Legati Romani, sui officij memores, sententiam Tarasij rogant, cum ea quæ in superioribus Conciliis invaluerat dignitate, τὴν γράμην & suffragij prærogativam, quæ his encyclicis epistolis continebatur, Romanæ sedi conservantes. Dicat nobis, inquit, sanctissimus Patriarcha Tarasius regie civitatis, si consentiat literis sanctissimi Papæ senioris Romæ, vel non?

III. At verò Tarasius sedis apostolicæ auctoritatem suo suffragio ita coluit ut ab ejus regulis in sincera fidei prædicatione discedere nemini fas esse putaverit, Apostolo testante Romanorum fidem annuntiari in universo mundo. Quare cum Hadrianus literis suis majorum traditionem asseruerit, se illius definitionibus subscribere Tarasius testatur. Paulus Apostolus, inquit, cum Romanis scriberet, approbans studium sincera fidei eorum, quam in Christum verum Deum habebant, sic ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est; & inconsultè agit qui conatur resistere. Ταῦτα τῆς μαρτυρίας ἕπε-

σαι ἀναγκασίον ἔστι καὶ ἀβουλῶν ἡγήσασθαι τὸ ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου. Iterum Legati à synodo exigunt an literas Hadriani amplecteretur: quæ professæ est se illas sequi, suscipere, & admittere. Vt autem ad Romanæ sedis auctoritatem ceterarum quoque sedium consensus accederet, relectæ sunt Actione tertia synodicæ epistolæ Tarasij ad Patriarchas Orientis, tum Orientalium Ecclesiarum ad Tarasium. Atque ut illustrius hæreticorum vesania confutaretur, prolatae sunt in medium antiquorum patrum sententiæ, quibus legitimus imaginum usus commendatur. Itaque alienum visum fuit à disciplina Ecclesiæ ut res semel constitutæ abolerentur. Verum enim, inquit patres illius synodi, & rectissimum Ecclesiæ judicium, nec novum fieri, nec adimi in ea quicquam indulget.

IV. Prærogativam illam suffragij, de qua loquimur, agnovit Tarasius in epistola ad Hadrianum: qua fatetur quidem Christum in synodo caput fuisse constitutum, sanctis Evangelii in sancta sede propositis, quæ toti conventui judicij sincerè ferendi necessitatem imponebant, sed literis Hadriani ante omnia relectis, Christum per eas veluti quibusdam spiritualibus edulis universos pavisse, ipsumque Hadrianum, velut oculum quendam, ad rectam veritatis viam corpus universum direxisse; id est, ut loquebatur Concilium Chalcedonense, eo auctore & ἀρχηγῶς omnia decreta fuisse. ὡς ὀφθαλμὸς τὸ ὄλον σῶμα τοῦ πῶ τῆς ἀληθείας καὶ ἀληθείας τριῶν ἁγίων πνευμάτων.

V. Non dissimulanda tamen est difficultas quæ à viris eruditis movetur, quod attinet ad officium Legatorum: qui dignitatem suam omnino tenuisse non videntur, ex eo quòd solo confessus privilegio & τῆς ἀποστολικῆς contenti, omnem actum Tarasio permiserint, qui interlocutionibus suis ordinem synodi constituebat. Sed observavimus superius eos in præcipuo capite, de quo erat controversia, jus suum usurpasse, sententiam à Patriarchis & ceteris Episcopis exigendo; in aliis verò articulis, quæ ab exercitato viro & linguæ Græcæ callentissimo expediri debebant, Tarasio ordinem omnem concessisse, qui Legatos Latine linguæ onere illo levavit. Quod tamen ultro aggressus non est, ac si jure proprio hæc auctoritas sibi competeret, sed post Synodi delegationem, id est, ex Legatorum & reliquæ synodi mandato, quod illi datum est ad suggestionem Episcoporum Siciliae. Cur autem in Concilio Francofordiensi hæc synodus admittæ non fuerit, diximus libro II. cap. XVII. §. II.

VI. Plena verò & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Octava Sy-

synodus
lib. vi.

post. d. d. d. d. d.
Catholici.

consent.
lib. vi.

AD. VII.

Epist. Tarasij ad
Hadrianum, in Act.
VII.

nodo, non solum primum confessus locum occupantes, sed etiam interlocutionibus suis constituentes synodi ordinem, & sententias uniuscujusque rogantes. Summopere autem auctoritas illa emicuit in libello ab apostolica sede per Legatos directo, quo, ante omnia, iis quae à Nicolao I. Papa & Hadriano II. decreta erant adversus haereticos & schismaticos se obtemperaturos Episcopi lapsi profiteri sua & testi im adhibitorum subscriptione debebant, libellumque eo modo subscriptum Apocrisariis tradere. Libello in Actione prima synodi relecto assensum praebeuit universa synodus, interrogantibus Legatis. Et secunda actione admissi Episcopi, Presbyteri, & monachi, qui Photium adversus Ignatium sectati fuerant, clementia Romanae sedis & totius synodi implorata, libello subscriperunt. Quod factum adeo commendabat auctoritatem Summi Pontificis, ut id Episcopi quidam Constantinopolitanae diceceseos in invidiam trahere conati sint, Basilij Imperatoris & Ignatij Patriarchae auribus insusurrantes (quemadmodum observat Anastasius Bibliothecarius, qui rebus gestis praesens aderat) non bene factum fuisse quod Ecclesiam C.P. tanta subjectione Romanae subdi Ecclesia permiserint, ita ut hanc ei tanquam domine ancillam traderent. Qua exprobratione commotus Imperator, clanculum chirographa illa subscripta à scriniis Legatorum subripi jussit, quod ex parte impletum, justam Legatis conquerendi occasionem dedit. Sed operam & industriam Anastasij Bibliothecarij Imperator chirographa restitui praecepit, iis verbis adjectis quae sedem apostolicam ut negotiorum ecclesiasticorum magistratam profitentur. Ego quidem, inquit, magistratam ecclesiasticorum negotiorum sedem apostolicam per meos Legatos adij, & ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto & solertia Ecclesia nostra remedia sanitatis acciperet, & nos, non nostris motibus, sed vestra sententia paremus.

VII. Eximia quoque illius auctoritatis specimen extat in epistola Hadriani II. ad Ignatium, qua Summus Pontifex conciliabula in urbe regia à Photio congregata adversus Nicolaum & Ignatium in irritum missa fuisse Synodi Romanae decreto docet: quod decretum in Synodo Oecumenica subscriptionibus omnium Episcoporum roborari & in archiva Ecclesiarum referri constituit. Quibus literis recitatis, Vicarij Romani consensum synodi eliciunt, interrogatione eo modo concepta quae partes cujusque & Pontificis & Concilij demonstret, nempe definiendi auctoritate Pontifici concessa, & Synodo, declarandi an res definitae cum ca-

AN. 111. Synodi
V. 11. ff. post
Hadriani epistola
Fenitissimi Vicarij
Fenitissimi Vicarij
Fenitissimi Vicarij

nonibus consentirent. Extant in editione Latina Anastasij, quae copiosior est quam Graecus Synodi Octavae contextus à Radero publicatus, Legatorum interrogatio, & Concilij responsio. Quae autem confertim & veluti per saturam à Concilio declarata erant, iterum deducuntur in examen Actione quarta & sequentibus; ita ut cum plena causae cognitione, exquisitis omnium votis, atque Photio exhibitio, Synodus Octava Romanorum Pontificum definitionem amplexa, suo quoque iudicio eandem confirmavit. Ex hac omnium concordia factum ut Octava illa Synodus universalis diceretur, quemadmodum observavit Anastasius his verbis: *Cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot patriarchales sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiae, si omnes illae sedes unius fuerint voluntatis; sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integre communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet sedes quia Romana praecellit, non immerito visui comparatur: qui profecto cunctis sensibus praeminet, acutior illis existens, & communionem sicut unus eorum cum omnibus habens.*

VIII. Consensus ille sedium patriarchalium per ipsos Patriarchas aut eorum Legatos exprimebatur, ut patet ex Actis Conciliorum. Quod Maximus quoque Abbas adnotavit; qui ex eo synodum quandam à Pyrrho allegatam respuit, quod Episcopi qui convenerant, nullis epistolis commendatitiis instructi, nec Episcopi à Metropolitanis, neque Metropolitanis à Patriarchis, non epistola, neque substituti ab aliis Patriarchis missi essent. Simeon Metaphrastes in vita Stephani Junioris: *Quod Oecumenicum Concilium istud vocari queat, quod nec Romanus antistes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri potest ut res ecclesiastica ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus? Vbinam eorum libelli sunt? aut quinam per diversa loca missi sunt, in quibus falsum vestrum Concilium confirmaretur, ut hac ratione Oecumenicum censeretur?*

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

LOCUM ex vita Stephani junioris ab illustrissimo Archiepiscopo laudatum visum est heic Graece reddere, ut auctorem illum lector vel in hoc loco, qui magni momenti est, habeat sua lingua loquentem. Haec enim haec vita Graece non prodit, sed Latine tantum ex versione Iacobi Billij viri doctissimi. Sunt autem verba Stephani junioris adversus Iconomachos disputantis, qui Concilium Constantinopoli habitum